Noverint universi quod Ego Franciscus Alemany parrochie de Villablarexio gratis et ex certa sciencia per me et meos vendo et titulo pure et irrevocabilis
vendicionis concedo et corporaliter seu quasi trado vobis Arnaldo Dalmacii dicte parrochie presenti et vestris ac cui seu quibus volueritis ad imperpetuum
quandam meam peciam terre positam in parrochia de Villablarexio in loco vocato Camp Jaquin et continentem unum fornale bovum et confrontatur ab
oriente in honore Petri de Manso a meridie in camino publico quo itur de ecclesia de Villablarexio apud Gerundam et ex occidente in honore
Guillermi Stephani a circio in honore den Biladennus. Quamquidem vendicionem cum omnibus introitibus et exitibus ac integritatibus et proprietatibus
ipsius campi ac cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et faciendis facio vobis et vestris pro precio videlicet et nomine precii sexa-
ginta solidorum monete Barchinone de terno quod a vobis habuisse confiteor et recepisse numerando ad meam voluntatem Renuncians exceptioni pecunie
et legi qua decepti ultra dimidiam iusti precii subvenitur
non numerate et non recepte et dicti precii non habiti et non recepti et doli. Et si plus valet nunc hec vendicio vel in futurum valeat precio supradicto
totum id vobis et vestris dono et diffinio atque remitto donacione pura et simplici atque irrevocabili que dicitur inter vivos. Et sic constituens
me dictam peciam terre vestro nomine possidere donec inde corporalem adeptus fueritis possessionem. Quam liceat vobis et vestris quando-
cumque volueritis apprehendere et penes vos et vestros imperpetuum licite retinere. Cedo et dono vobis et vestris in predictis omnia loca et iura mea
omnesque voces vices raciones et acciones utiles mixtas et directas ac alias quascumque michi et meis in predictis pertinentes nunc et in futurum.
Omnibus locis iuribus vocibus vicibus racionibus et accionibus possitis vos et vestri uti agere procedere et experiri in iudicio et extra agendo et defenden-
do et excipiendo aliis modis prout ego facere poteram ante vendicionem presentem. Faciens vos inde et constituens vos et vestros in predictis
veros dominos et procuratores ut in rem vestram ad agendum et defendendum utendumque et experiendum ac habendum tenendum et perpetuo
possidendum inde libere faciendum vestras omnimodas voluntates. Salvo tamen semper iure et directo dominio venerabilis abbatisse monas-
terii Sancti Danielis Gerunde scilicet in omnibus terciis laudimiis et foriscapiis aliisque ad directum dominium pertinentibus. Cuiquidem domine
abbatisse et eius monasterio dabitis vos et vestri pro censu dicte pecie annis singulis duas migras frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad mensu-
ram Gerunde in festo sanctorum Petri et Felicis portatas ad monasterium predictum vestris expensis. Et salvo quod vos habeatis vos convenire
cum domino Sacrista Sancti Petri de Galligantis Gerunde domino meo pro exitu mansi. Et sic promitto vobis et vestris dictam peciam vos et
vestros facere habere tenere et possidere in sana pace et securitate ac salvare et defendere contra cunctas personas et tenere inde vobis et vestris
firmam de evictione omnique dampno et interesse ac missionibus litis et extra. Ita quod si forte per quamcumque personam cuiuscumque status ordinis auctoritatis
dignitatis et gradus fiat vel moveatur in et super predictis aliqua lis aut questio vel demanda vobis vel vestris incontinenti promitto eidem parere
ante vos et vestros et suscipere totum onus litis vel vos aut vestri si malueritis possitis per vos vel interpositam personam ipsam litem et questionem ducere
prosequi et tractare a principio usque ad finem electione super hoc vobis et vestris penitus reservata. Ego enim per me et meos promitto et convenio
vobis et vestris refundere et fideliter emendare omnes sumptus omniaque dampna et interesse quos et que vos et vestri feceritis et sustinueritis racione predictorum
et prosequendi ipsius litis et questionis et occasione eorum qualitercumque in iudicio vel extra una cum toto eo quod inde a vobis vel vestris de predictis evictum
fuerit seu obtentum. Super quibus expensis dampnis interesse et re evicta credatur vobis et vestris vestro plano et simplici verbo absque testibus
et iuramento. Remittens vobis et vestris iure super predictis pacto inito onus demonstrandi et approbandi necessitate. Et pro predictis omnibus et singulis
sic ut predicitur attendendis et complendis et pro firma et legali contra evictione obligo vobis et vestris omnia bona mea ubique habita et habenda. Promittens
vobis et vestris atque iurans sponte per Deum et eius sancta quatuor evangelia a me corporaliter tacta predictam vendicionem et omnia ac singula supra-
scripta semper rata grata et firma habere tenere et servare contraque non facere vel venire aliqua racione. Et ego frater Petrus Dulcie sacrista monasterii
Sancti Petri de Galligantis Gerunde predictam vendicionem firmo pro exitu mansi. Ad hec nos Ermessendis Dei gratia abbatissa dicti monasterii Sancti Da-
nielis dictam vendicionem salvo iure meo et dicti nostri monasterii in omnibus et per omnia firmamus et laudamus in manu et posse notarii infrascripti
nomine dicti emptoris et omnium quorum interest et intererit poterit in futurum stipulantis et legitime recipientis. Actum est hoc Gerunde die secunda mensis
Julii anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Nono. Sig+num Francisci Alemany iurantis. Sig+num fratris Petri Dulcie.
Sig+num Ermessendis Dei gratia abbatisse predicte qui hec firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt scilicet de firma dicti venditoris Petrus
de Manso de Villablarexio et Franciscus Balistarii scriptor Gerunde et de firma dicti sacriste qui firmavit dicta die sunt testes dictus
Petrus de Manso de Villablarexio et Bernardus [illegible] fustanerius civis Gerunde. De firma autem dicte domine abbatisse que predicta firma-
vit die tercia dicti mensis Julii in dicto suo monasterio sunt testes Petrus Bugarii de Casanova clericus sedis Gerunde et Guillermus de
Baldemya de Juviano.

Sig+num Petrus de Ponte notarius publicus substitutus auctoritate [illegible] de Campolongo publico Gerunde notario hec scribi feci et clausi cum supraposito in [illegible]
linea ii scripto et legi qua decepti ultra dimidiam iusti precii subvenitur et cum raso et correcto in [illegible] linea [illegible]

Noverint universi quod Ego Franciscus Alemany parrochie de Villablarexio gratis et ex certa sciencia confiteor et recognosco me habuisse et recepisse numerando ad meam
voluntatem a vobis Arnaldo Dalmacii dicte parrochie presente omnes illos Sexaginta solidos monete Barchinone de terno quos michi dare et solvere tenebamini pro precio cuiusdam
pecie terre posite in dicta parrochia loco vocato Camp Jaquin et confrontate ab oriente in honore Petri de Manso a meridie in camino vocato de Villablarexio ab occidente
in honore Guillermi Stephani et a circio in honore den Biladennus quam peciam hodie dicto precio vendidi vobis prout latius continetur in instrumento dicte vendicionis facto
in posse notarii infrascripti. Unde renuncians exceptioni dicte pecunie non numerate et non recepte et doli de dictis Sexaginta solidis facio vobis et vestris bonam apocham
de recepto et bonum ac perpetuum finem et pactum de ulterius non petendo. Actum est hoc Gerunde die secunda mensis Julii anno a nativitate domini Millesimo Trecen-
tesimo Sexagesimo Nono. Sig+num Francisci Alemany predicti qui hec firmo et laudo. Testes huius rei sunt Petrus de Manso de Villablarexio et Franciscus
Balistarii scriptor Gerunde.

Sig+num Petrus de Ponte notarius publicus substitutus auctoritate [illegible] de Campolongo publico Gerunde notario hec scribi feci et clausi.

N.º 40. Llibre 22. f. 112-116

Vilablarex.

[illegible]

AC f 83 N.ro 13 del segon plec de Vilablareix

T. 545 X 358

n.º 931

[illegible]

Venda feta per Fran.co Altemir de Vilablarex a Arnau Dalmau de id. de una pessa de terra sitiada en id. de extensió de un jornal de bous que era del Camp de [illegible]. A 2 juliol 1300.

985

1532